JOSEPHI MARIAE GOBBI ROMANI IN EPISCOPALI PISTORIENSI COLLEGIO...

Giuseppe De Mirto



JOSEPHI MARIAE GOBBI
ROMANI
IN EPISCOPALI PISTORIENSI COLLEGIO
CONVICTORIS
ET PHILOSOPHIAE, ET MATHESEOS AUDITORIS

DE DEI EXISTENTIA
ET DIVINAE REVELATIONIS
NECESSITATE
METAPHYSICA DISSERTATIO.





EXCUDEBAT PISTORII ANNO CIϽ IϽ CC LXXXIII.
ATTHO BRACALIUS IN EPISCOPALI TYPOGRAPHIO
PUBLICA AUCTORITATE.

ILLUSTRISSIMO . REVERENDISSIMO . DOMINO

DOMINO

SCIPIONI . DE . RICCIIS

SANCTARUM . ECCLESIARUM

PISTORIENSIS . ET . PRATENSIS

ANTISTITI

SS. D. N. PAPÆ . PII . VI.

PRÆLATO . DOMESTICO . ET . PONTIFICII . SOLII

ASSISTENTI

DISSERTATIONEM . HANC

DE . DEI . EXISTENTIA

ET . DIVINÆ . REVELATIONIS . NECESSITATE

JOSEPHUS . MARIA . GOBBI

ROMANUS

DEVOTUS . MUNIFICIENTIÆ . HUMANITATIQUE

EJUS

IN . OBSEQUENTISSIMI . ANIMI . TESTIMONIUM

D. D. D.





DE DEI EXISTENTIA
ET DIVINÆ REVELATIONIS NECESSITATE

METAPHYSICA DISSERTATIO.



Uod non Ethnici solum omnium sermone celebrati Philosophi rerum naturalium ordinem, pulchritudinem, earumdem structuram, fines, motus contemplantes liquido intellexerunt, sed Grecorum, Egyptiorum, Chaldeorum, Phenicum doctissimæ, prudentissimæque Nationes, aliæque multitudine innumerabiles, vel etiam immanitate barbaræ Gentes semper esse putarunt, naturam scilicet aliquam divinam multo magis, quàm assequi mente possumus excellentem, atque præstantem, quæ pœnas, ac præmia dividat, quæ ferat implorantibus opem, quæ magnam gerat nostrarum rerum, assiduamque curam, quę cuncta denique Numine moderetur suo, ut cujuscumque, vel ætatis, vel regionis indubiis monumentis posset confirmari; eo impudentię, ac nequitiæ teterrimi noctis filii, & tenebrarum devenere, ut nullam esse hujusmodi naturam, proindèque nullum Auctorem Mundi, vel Gubernatorem optimum, ac præstantissimum esse agnoscendum, apertè declarent, & Divinitatem ipsam e Cœli solio deturbatam cum rudi, inertique materia turpiter permiscère, moliantur. Quos porro scelestissimos, atque ex omnium vitiorum colluvie enatos homines, ut altius confodiamus, refutemusque, atque adversus eosdem supremi Numinis existentiam solidis momentis adstruamus, haud in eo potissimum tota argumentationis vis locanda est, ut constet aliquando existere Ens a se, improductum, & necessario exi-

existens, cum nefarii hujusmodi homines cum ceteris Materialistis & ipsi doceant, tot dari Entia a se, quot sunt materie particulæ, ex cujus fortuitis combinationibus, Mundum hunc coaluisse, temere affirmant: Ast omni virium conatu id præcipuè statuendum, nos Dei nomine intelligere, non solum Ens quodlibet improductum, & necessario existens, sed etiam Ens summa sapientia, & potentia preditum, qua hæc omnia, quæ videmus condere potuit, & ordinare, ita, ut non casu quodam, aut ceca necessitate, sic illa esse disposita, & talibus motibus agitata, quisque probe intelligat, sed curam, atque artificium causę cujusdam extra materiæ collectionem existentis, ipsiusque vires longè excedentis, omnesque Universi partes ad ipsarum conservationem dirigentis, luculentissimè agnoscat. Quod tunc nos assequtos esse confidimus, cum materiam Ens increatum, improductum, & necessario existens ex probationis nostræ serie nequaquam esse, constabit, atque ex ipso rerum naturalium statu, & ex ipsa earum natura, essentialibusque proprietatibus, supremam aliquam causam sapientissimam, summoque consilio, & sapientia præditam, Deum nempe extitere, rectissimè intulerimus.

Et sane illud Entis increati, improducti, & necessario existentis præcipuum, ac singulare est, ut pro nulla temporis differentia indifferens sit quoad statum, illius namque existentia, nonnisi in statu aliquo determinato concipi potest; Ens quippe, quod concipitur existere, necesse est, ut in statu aliquo determinato, scilicet, vel in statu quietis, vel motus, vel quolibet alio, concipiatur existere. Porrò, si Ens increatum, improductum, & a se necessario existens indifferens foret ad statum illum, quem determinatè habuit in existendo, potuisset non habere hujusmodi statum, quem determinatè habuit: Atqui hujusmodi statum non potuit non habere, aliter enim statum illum, in quo determinate existit, ab alio accepisset. Quare, aut a se liberè, aut ab aliis Athomis, aut a causa aliqua extra Athomorum congeriem posita, statum illum habuisset; Primum negant ipsi Adversarii, cum Athomis libertatem adimant; Tertium pariter negant absolutè, cum Athomos statuant esse Entia a se necessario existentia. Ergo secundum concedant necesse est; Atqui hoc juxta eosdem Adversarios prorsus adsurdum est, cum idea Entis increati, & improducti sit idea Entis, quod ab aliis Athomis in existendo nequaquam possit dependère. Ergo, si Athomus A ex. gr. esset Ens increatum, & impro-

ductum, nonne eadem Athomus existeret, cum increata, & improducta sit, etiamsi nulla alia Athomus in rerum natura esset? Atqui existere nequit, quin habeat determinatum aliquem existendi statum; Ergo, si in existendo ab alia Athomo nequit dependere, neque dependere potest ab alia Athomo quoad statum. Existentia namque Athomi A, adeò conjungitur cum statu aliquo determinato, ut absque illo concipi nequeat; sed status determinatus juxta ipsos Adversarios dependet ab aliis Athomis. Ergo existentia Athomi A dependet ad aliis Athomis, quod de Ente increato, & improducto dici nequaquam potest. Rursus juxta eosdem Adversarios Athomus A indiget alia Athomo ad suum statum determinandum, quemadmodum & Athomus B, & ceteræ Athomi in infinitum indigent. Ergo, sicuti in Athomo B secundum se considerata nihil determinationis habemus, ita pariter nihil determinationis habemus in Athomo C secundum se considerata; Ergo in singulis Athomis habebimus merum nihil relate ad determinandam existentiam status; Atqui summa nihilorum, utpote numero infinitorum est merum nihil. Ergo etiam in tota collectione Athomorum invenietur merum nihil in ordinem, & statum determinandum. Ergo ab aliis Athomis determinari non potest; nemo enim dat, quod non habet; Quare Ens increatum, & improductum statum illum, ita habuit, ut non potuerit non habere, proindeque indifferens non est quoad statum pro quacumque temporis differentia. Ens namque increatum, & improductum pro quacumque temporis differentia, non ab aliis, sed ab essentia sua determinatum est ad existendum, adeòque determinatum est etiam ad statum aliquem in particulari habendum pro quacumque temporis indifferentia; Ergo nullo non tempore indifferens est ad statum aliquem habendum.

Atqui pro qualibet temporis differentia, materia indifferens est quoad quemcumque statum; Ergo materia non est Ens increatum, & improductum. Evidens namque est, nos posse statum nostrorum corporum, & plurimorum aliorum, quoad statum, motum, velocitatem, & alia hujusmodi immutare, transferendo nempe nostrum corpus, & aliud quodcumque ab uno loco in alium, ab una velocitate ad aliam, a motu ad quietem, & vicissim, sed si materia immutabilis esset, & non indifferens pro qualibet temporis differentia quoad statum, hæc effici nequirent. Et sane loquendo de nostris corporibus, quis sa-

sanæ mentis auferit inficiari, pro qualibet temporis differentia, illorum statum nequaquam a nobis posse immutari, scilicet, si quiescimus, non posse nos a statu quietis in statum motus corpus nostrum transferri? Quare, cum evidens sit, posse nos, quoties libuerit, aut sedère, aut ambulare, aut manum attollere, aut dimittere, & sic de reliquis nostrorum corporum actionibus; evidens quoque sit, necesse est, nos pro qualibet temporis differentia statum nostrorum corporum immutare posse, adeòque pro qualibet temporis differentia corpora nostra indifferentia esse quoad statum, & consequenter ab existentia sua quoad statum non esse illa determinata. Etsi autem in omnibus omnino corporibus idem experimentum, quod in nostris corporibus, inire non liceat, tamen, cum in pluribus, id a nobis fieri posse videamus, in aliis autem solum ob quasdam circumstantias, id nobis non licère intelligamus, facilè inferre posse cognoscimus, nos casu tantum, & per accidens corporum illorum statum non posse immutare. Hinc, si immane aliquod corpus ex uno in alium locum transferre non licet, nonnè singulę ipsius partes seorsim sumptę transferri possunt? Adeòque materia, ex qua corpus illud coalescit, non ita eum statum habet, ut alium habere non potuerit, nec possit, siquidem materia illa existere potuit, quin in talem massam coalesceret, atque hujusmodi incrementum in causa certè est, cur maximam objiciat illa resistentiam, non verò, quod materia illa ex sua essentia huic determinato statui alligata sit, quoties enim nobis vires adessent ad resistentiam hujusmodi vincendam, materia illa, licet in massam ingentem conformata, facili negotio, accedentibus sufficientibus viribus, a quiete ad motum transiret. Ergo, cum ex una parte Ens increatum, & improductum pro nulla temporis differentia possit esse indifferens quoad statum, atque ex alia parte pro qualibet temporis differentia materia indifferens sit quoad statum, nonnè consequitur evidentissimè, quod materia non sit Ens increatum, & improductum?

Id ipsum verò, nonnè pręsens corporum status evincit luculentissimè, cum necessario actionem causę supponat extra materię congeriem positę? Materia siquidem, ut hactenus confecimus, per se indifferens est quoad statum; ab alio ergo determinari debet, proindèque causa aliqua extra corporum omnium collectionem posita statuenda est, quæ inertem, otiosamque materiam ad pręsentem suum statum determinet. Etenim, si Atho-

Athomus quelibet in particulari insufficiens est ad determinandam seipsam quoad statum, neque omnes Athomi simul sumptæ habebunt sufficientiam ad determinandum statum collectionis universe omnium Athomorum. Quemadmodum enim, si singuli pauperes non habent pecuniam, quam alicui petenti largiri possint, numquid collectio omnium pauperum habere poterit pecuniam, quam alteri largiatur, cum collectio omnium pauperum non sit magis dives, quam singuli pauperes seorsim sumpti? Si status corporum, qui nunc est, sufficientiam haberet ad existendum, aut illam in statu corporum haberet, qui precessit, aut in serie infinita statuum, qui alii aliis ab eterno precesserunt. Atqui non presupposita actione cause a corporum congerie diverse, ab his habere non potuit sufficientiam ad existendum; Ergo status corporum, qui nunc est, aliunde habere non potuit sufficientiam ad existendum, nisi presupposita actione cause a corporum congerie diverse. Status namque corporum, qui precessit, tantum in se habuit ad paritatem rationis insufficientiam ad existendum, quantum habuit status, qui nunc est, & series infinita statuum, quorum singuli habent in se eamdem insufficientiam, adeòque ipsa series sibi insufficiens est ad existendum; sed quod est insufficiens ad existendum, non presupposita causa, a qua sufficientiam hujusmodi possit accipere, nec ipsum potest existere, nec alteri sufficientiam prebere ad existendum; Presens ergo corporum status, non presupposita actione cause extra corporum congeriem posite, neque a statu, qui precessit, neque a serie infinita statuum, qui ab eterno precesserunt potest habere sufficientiam ad existendum, adeoque quilibet corporum status, cause extra congeriem corporum posite actionem presupponit. Series infinita statuum contingentium, tunc solum locum habere potest, dum extra seriem ipsam agnoscatur causa, a qua determinationem accepit, quamdiu hec non adsit, & omnes, & singuli status totalem insufficientiam habent ad existendum, nonnè summa, seu series infinita statuum, in quorum singulis habemus merum nihil ad determinandam existentiam, nonnè inquam est merum nihil, adeòque non potest determinatè existere nisi a causa extra ipsum posita determinetur? Magisnè confert numerus infinitus statuum ad sufficientiam hujusmodi habendam, quam in Arithmetica infinite cifre ad habendum numerum conferre possunt, seclusa unitate?

Series infinitas excogitarunt Materialistę, ut retrocedentibus effugium aliquod pateret, & statum aliquem antecedentem in promptu semper haberent, ad quem iidem confugerent. At status antecedens subsequentem, hac ipsa solum ratione potest determinare, quod existens, & determinatè existens supponatur. Quomodo verò existere potuit, nisi vel in seipso sufficiens determinationis principium ad existendum habuerit, vel ab alio acceperit, quod in se principium illud haberet? Atqui seclusa actione causę extra corporum congeriem positę, nec singuli status habent in se illam sufficientiam, nec tota series, quę ex hujusmodi statibus coalesceret, quemadmodum hactenus ostendimus. Submota ergo causa extra seriem illam posita, nec status, qui pręcessit, nec series infinita, nec proinde status pręsens potest existere.

Verum non ex pręsenti solum rerum statu, sed ex ipsa corporearum rerum diligenter evoluta natura Ens necessarium, immutabile, ęternum, atque ab universo distinctum, segregatumque admittendum est. Quod enim natura sua iners est, quod omni agendi principio destituitur, quod motus, & vires omnes extrinsecas acceptas habet, sibi profectò sufficiens ratio, & causa esse non potuit, cur esset, nec si quando fuit, se certo ordine distribuere, & tot motibus impellere undique, & agitare potuit, nec jam conceptos motus, ac vires tantis vicissitudinibus temperare. Extra igitur corporum collectionem sufficiens ratio, & causa aliqua existentię, motus, & virium corporum quęri debet. Porrò in toto corporearum causarum genere, aut una causa est, & in se sufficientem rationem complectitur sui ipsius, aliarumque rerum omnium, aut singulę, ita invicem connexę sunt, ut unaquęque ab alia pendeat. Atqui si hoc esse posset in continuata quavis corporearum causarum, & a se invicem pendentium serie, hoc est totum causarum genus, nec suę existentię, nec motuum, nec virium corporum sufficientem rationem in seipso complecteretur, quemadmodum exemplis pauperum, zerorum &c. satis abunde superius confecimus. Causa igitur aliqua incorporea esse debet, a qua cum causę cęterę pendeant, ipsa nulli subjaceat, & ex se, sueque naturę necessitate existat, nec ullo umquam tempore potuerit non existere, & quia, quod in se necessarium, ęternumque est, vicissitudinis alicujus, & mutationis causa intrinsecus sibimetipsi esse nequit, cumque a nullo alio principio pendeat, nullam

ex-

extrinsecus mutationis causam habere potest, necessaria, incorporea, ęterna eadem causa penitus, & immutabilis sit, oportet. Denique, quę immutabilis causa est, plus esse nequit, quam vere est, sive est illud omne, quod potest esse; quiquid enim non est omne illud, quod potest esse, potest plus esse, quam verè est, & quidquid potest plus esse, mutari potest; jam verò quidquid majorem amplitudinem, dignitatemque existendi habet, sive quod plures, prestantioresque proprietates complectitur in seipso, perfectum est. Existit ergo, prima, necessaria, ęterna, incorporea, immutabilis, & perfectissima rerum omnium causa, nimirum Deus.

Id ipsum verò, nonnè facile quisquam etiam colligeret, qui oculis in hunc Mundum conversis consideraret, ut ait Tullius, ęqualitatem motus, conversionem Cęli, Lunę Solis, siderumque omnium distinctionem, varietatem, pulchritudinem, quorum aspectus ipse satis indicaret non esse fortuita, ut si quis in domum aliquam, aut gymnasium, aut forum venerit, cum videat omnium rerum rationem, & modum, & disciplinam, non possit ea sine causa fieri judicare, sed esse aliquem, qui intelligat, qui pręsit, & cui pateatur, multo magis in tantis motibus, tantisque vicissitudinibus, tam multarum rerum, atque tantarum ordinibus statuat necesse est, ab aliqua mente tantos naturę motus gubernari. Ex solo vero gravitatis systemate, nonnè Deum existere perspicuum est? Totum systema ea lege continetur, quod omnia corpora sese invicem attrahant, vi quę quantitati materię directè, & quadratis distantiarum reciprocè sit proportionalis. Pendent ex hac unica lege Planetarum, Cometarumque, & Satellitum omnium motus adeò irregulares, & varii, figura totius Terrę, maris ęstus, & phęnomena ejusdem generis fere innumera. Si ergo vis gravitatis, ut dictum est, ex superiori aliqua causa oritur, intelligentem, perfectissimamque causam esse oportet, quę unica vi, tot, & tanta phęnomena contineat. Ex hisce Planetarum motibus, quis est, qui cum immortali Newtono summam supremi Numinis sapientiam, consiliumque merito non suspiciat, ac demiretur. = Planetę enim, inquit memoratus = Vir preclarissimus in Scholio generali Libri III. Principiorum, = sex principales revolvuntur circa solem in circulis soli con= centricis, eadem motus directione in eodem plano quampro= ximè, Lunę decem revolvutur circa Terram, Jovem, &

Sa-

= Saturnum in circulis concentricis, eadem motus directione
= in plano Orbium Planetarum quamproximè, & hi omnes
= motus regulares originem non habent ex causis mechanicis,
= siquidem Cometę in orbitis valde excentricis in omnes Cę-
= lorum partes, liberè feruntur. Quo motus genere Cometę
= per orbitas Planetarum celerrime, & facillimè transeunt, &
= in Apheliis suis, ubi tardiores sunt, & diutius morantur
= quamlongissime distant ad invicem, & quamproxime se mu-
= tuo trahunt. Elegantissima hæc Solis, Planetarum, & Co-
= metarum compages, nonnisi consilio, & dominio Entis in-
= telligentis, & potentis oriri potuit. Et, si stellę fixę sunt cen-
= tra similium systematum, hęc omnia simili consilio constructa
= subeunt unius dominio. Densiores sunt, addit libri tertii
= Propositione VIII., Planetę cęteris paribus, qui sunt soli pro-
= piores, ut jupiter Saturno, & Terra jove. In diversis uti-
= que distantiis collocandi erant Planetę, ut quilibet pro gra-
= du, calore solis majore, vel minore frueretur. Aqua nostra,
= si Tellus locaretur in orbe Saturni, rigesceret, si in orbe
= Mercurii, in vapores statim abiret. Dubium vero non est,
= quin materia omnis densior ad operationes naturales obeun-
= das majorem calorem requiret. Quis enim suadere sibi pote-
= rit, Planetas omnes, diversas hasce distantias, pro diversitate suę
= densitatis non ab actione causæ alicujus cum sapientia, &
= consilio agentis, sed a casu, & temeritate obtinuisse =?

Atque, ut terrestria contemplemur, nonnè in nostro hoc corpore animadvertimus, quomodo partes singulæ inter se diversissimę unico fini inserviant, conservandi scilicet motus, sine quo vita esse non potest, & partium, quæ continuo motu atteruntur, debilitanturque, reparandarum scilicet, quia illis reparandis, consolidandisque requiritur cibus, quot addita sunt instrumenta, ut cibum ipsum primo parare possimus; concerpere, deglutire; manus corripiendo cibo, dentes canini discerpendo; molares contundendo, volvendo lingua, exofagus deglutiendo, ventriculus concoquendo, & alia vasa excipiendis particulis ad nutritionem magis comparatis? Denique quod musculorum, pulmonum grandularum artificium est; cordis, quo sanguis impellitur, venarum, arteriarumque, quibus per totum corpus sanguis diffunditur, & reducitur, ligamentorum, quibus ossa conjunguntur &c., atque, ut omnia paucis perstringamus, nonnè idipsum evincitur, si plantarum

stru-

structuram consideremus, cum singulas earum partes in id conspirare videamus, ut præparetur succus nutritius, tum æqua dose disseminetur, deinde in ramos, frondes, fructusque erumpat, tum si earumdem ex semine productionem contemplemur in quo, & rami, & frondes, & flores, & fructus præcontinentur, & novam ipsius seminis efformationem, quod tum particularum illam texturam partium habeat, & plantam illi, a qua semen productum est, omnino similem valeat producere, & viridem illum colorem jucundissimum plantis omnibus communem, & in omnibus diversum, & summam plantarum utilitatem, atque expetibilitatem, quæ non tantum victum nobis suppeditant, sed vestes etiam, & medicamina, & domos, & supellectilem, & naves, & ignem, & sensuum, animique voluptates quamplurimas. Superest, ut concludamus cum Boetio, Mundum hunc diversis, contrariisque partibus in tantam formam minime concrevisse, nisi unus esset, qui tam diversa conjungeret, conjuncta vero ipsa naturæ diversitas invicem discors dissociaret, atque divelleret, nisi unus esset, nempe Deus, qui, quod nexuit, contineret.

Cum vero sola sapientia, & intelligentia nullus haberi possit effectus, nonnè necessaria planè erat potentia ad hęc, quę perfecta videmus conficienda? Quis enim vecors adeo, & ignarus est, qui ipsam in cunctis naturalibus effectibus omnes imaginationis nostræ limites quamlongissime excedere non deprehendat, adeò, ut non facile definitu sit, majornè in majoribus, an in minoribus operibus illa elucescat? Quid enim difficilius est, tantasnè cęlestium corporum moles ad juxta intervalla collocare, & cum debita velocitate projicere, ut is habeatur motus, quem adeò constantem Planetæ tuentur, an verò animalium corpora, etiam minima cum suis venis, musculis, fibris, nervis, ceterisque ad vitæ munera obeunda instrumentis necessariis efformare, eaque tam exigua, ut plura eorum millia simul collecta nostros sensus prorsus effugiant. Contemplanti mihi quidem naturam universam, singulasque ejus partes attentius perpendenti, tanta sapientia, industria, potentia elaboratas, & perfectas video, ut vix in earum una tantam concipere potuissem perfectionem, si illam solum naturæ Auctor efformandam suscepisset.

Quid vero de supremi Numinis providentia dicemus, cum eidem res singulas, etiam viles-, & exiguas subjectas videamus?

Or-

Ordo siquidem, pulchritudo, symmetria rerum omnium, illa scilicet conveniens partium, etiam minimarum inter se, & ad totum ratio, quam in hoc Universo hactenus observavimus, ab ipso suæ existentię initio ad hæc usque tempora constanter perseveravit, quemadmodum ex constanti, & ordinata Planetarum revolutione in suis orbitis constat luculentissime. = = Quis enim (inquit Cicero Lib. II. de natura Deorum) hunc = hominem dixerit, qui cum tam certos Cęli motus, tam- = que omnia inter se connexa videat, neget in illis ullam es- = se rationem...., quę quanto consilio gerantur, nullo con- = silio assequi possumus = Idipsum pariter, nonnè constat ex perenni arborum, fructuum, herbarum e suis seminibus productione, aliisque innumeris, quę quotidianà experientia nobis ostendit? Atqui hęc omnia constanter perseverare, & conservari non potuissent sine primę causę providentia, ut indubiis rationibus Homilia decima ad Populum Antiochènum ostendit Chrysostomus = Dimitte, inquit, navigium per diem = unum absque Gubernatore, & nautis, & statim submersum = videbis; sed Mundus nihil tale passus est, quinque millia, = & plus jam habens annorum; & quid dico navigium? Ca- = sulam aliquis parvulam in vineis compegit, & fructu ablato = desertam reliquit, & ne duos sępe dies permanet, sed sol- = vitur, & brevi cadit. Igitur tugurium absque providente = non staret, creatura vero tanta, tam pulchra, tam mira- = bilis, & leges noctis, & diei, alternarumque horarum cho- = reę, & naturę cursus varii, & omnimodus in terra, & mari, = & aere, & Cęlo, & plantis, & animalibus volantibus, na- = tantibus, gradientibus, serpentibus, & in Hominum ge- = nere omnibus his validiore, tantum temporis absque aliqua = providentia stabilisset = ? Et sanè, quę umquam Respublica sine moderatoribus suis, quę urbs sine Gubernatore, sive Rectore aliquo, quę privata domus sine Patrefamilias eam administrante, atque regente, permansit, costantemque ordinem in suo regimine conservavit? Multo ergo minus perseverare constanter hujus Universi ordo, symmetria, pulchritudo potuisset sine primę causę provvidentia: Ergo si huc usque constanter perseveravit, per primę causę providentiam perseveravit. Ergo Mundus, quęque in ipso existunt res singulę, etiam viles, & exiguę, supremę causę providentię subjiciuntur.

Sublata verò Dei providentia, nonnè omnis justitia è Mundo

do tolleretur ? Quoties enim nulla sit providentia , adeoque nullum Numen , quod nos , nostraque curet, quis esse poterit timor pœnæ , quæ spes premii , quod post mortem nos maneat ? Nonnè sęculorum omnium experimento firmatum est , humanarum legum metum , & timorem satis non esse ad effrenatos nostrarum cupiditatum impetus coercendos , pręsertim cum scelera nostra , vel occulta , vel impunita futura esse speramus ? Ex quo factum est , ut nulla umquam Respublica laudabiliter instituta fuerit , in qua Numinis alicujus humana providentis , ac curantis , persuasio non viguerit . Hoc vel ipsi recentiores Materialistę, contra quos pręsertim agimus , concedunt , dum impie asserunt , religionem , & supremi Numinis providentiam a politicis Viris ad coercendos subditos inventam . Hoc ipsi Ethnici Philosophi , Platonici scilicet, Peripatetici , aliique agnoverunt .

Immeritò ergo adversus luculentissimas hasce hactenus præconstitutas veritates fraudibus , & mendaciis pugnare , easdemque infringere , & evertere Materialistę adnituntur . Et sanè statuunt primò nullam dari repugnantiam , quod materia sit Ens increatum , & improductum , & tamen pro aliqua temporis differentia indifferens sit quoad statum . Athomus scilicet A ex natura sua potest necessario impelli ad motum versus Orientem , & tamen ex occursu Athomi B versus Occidentem se moventis potest mutare directionem , velocitatem imminuere , aut etiam illâ omnino privari .

Verum si Athomus B necessario , & quidem necessitate intrinseca occurrat Athomo A, adeòque necessario mutet illius directionem , concedimus , quod Athomus B sit Ens increatum, & improductum , negamus vero, quod indifferens sit ad occurrendum Athomo A , quoties sit Ens increatum , & improductum , ut superius confecimus . Si enim memoratę Athomi sunt Entia increata , & improducta , illarum occursus , adeoque status ipse ab utriusque Athomi essentia determinatur , cum Ens a se , ut ostendimus, pro nulla temporis differentia indifferens sit quoad statum . Quare , si illę Athomi sunt Entia a se , earum motus versus Occidentem , ac Orientem determinatus erit, adeòque etiam illarum occursus determinatus erit , & necessarius : Ergo non erit indifferens : Ergo materia non potest esse Ens a se , & simul indifferens quoad statum . Nec est , quod illi instent, Athomorum occursum ex illarum naturę necessitate

ne-

nequaquam profluere, eo quod quilibet materię status sit modus materię, & modificationes materię mutari possint. Modi namque ab essentia rei necessario profluentes, necessario, & metaphysicè cum illa conjunguntur, adeoque æque ac illa nequeunt immutari. Quidquid enim ab essentia rei necessario profluit, & cum illa metaphysicè conjungitur, omnino immutabile est eque ac ipsa essentia. Idcircò autem modificationes materię mutabiles esse statuimus, quia materia, cum per nos iners sit, indifferens est ad quamlibet modificationem suscipiendam: sic ex. gr. digitus indifferens est, ut sit inflexus, aut rectus, quia ejus essentia neutrum importat necessario. At juxta materialilistas nequaquam est iners materia, cum per ipsos sit Ens a se; Ergo etiam ex essentia sua determinata est ad statum aliquem in particulari. Nec est pariter, quod addant, mutari posse modificationes materię ab essentia rei necessario profluentes, & cum illa metaphysicè conjunctas, quia, licet materia ponatur indifferens quoad statum, tamen eo ipso, quod existit, habet statum aliquem determinatum. Ast nos determinatum materię statum, haud ex eo deduximus, quod eo ipso, quod materia existit, existat in statu aliquo determinato, sed ex eo, quod, cum juxta eosdem Adversarios, materia sit Ens a se, adeòque ex necessitate essentię suę exitat, jam illius essentia determinare debet illius existentiam, adeòque & statum existendi; status itaque illius necessarius est, & metapysicè connexus cum illius existentia. Quoties enim ab illius essentia existendi status non determinaretur, quęnam alia causa illum materię statum determinaret?

Ex libertate verò, quam habemus immutandi corporum statum, nonnè rursus perperam inferunt, quod status corporum alius esse potuerit dependenter ab actione alicujus causę liberę, non verò, quod suapte natura determanata non sint ad aliquem statum; saxum ex. gr. movetur ad partes centro oppositas; ex hoc autem non infertur, saxum non esse determinatum ad tendendum centrum versus.

Verum nos non propugnamus modo, corpora determinata non esse quoad statum, sed etiam, quod per se indifferentia sunt ad eum statum, quem habent. Nam si dependenter ab actione causę liberę corpora esse possent in statu diverso ab eo, quem habent pro eadem temporis differentia, nonnè luculenter apparet, illorum statum non esse ipsis omnino necessarium

rium

rium, nec cum eorum essentia metaphysicè conjunctum? Relate vero ad saxum, quod centrum versus tendit eo ipso tempore, quo sursum projicitur, reponimus, quod actualis saxi descensus non est omnino necessarius eidem saxo gravi, nec metaphysicè conjunctus cum saxi natura. Potest enim concipi absque gravitate, cum gravitas ex essentialibus ipsius proprietatibus, extensione videlicet, atque impenetrabilitate, non dimanet. Contra vero status, quem habuit Ens a se in primo instanti, in quo existere concipitur, fuit omnino necessarius, & cum ipsius essentia conjunctus.

Nec est, quod addant Materialistę, perperam a nobis ex indifferentia materię quoad statum inferri causę alicujus necessitatem extra corporum collectionem positæ, ipsamque materiam determinantis. Si enim, inquiunt, admittantur infinitę Athomi, quarum una ab alia, secunda a tertia, & sic in infinitum ad statum aliquem determinetur, per totam ęternitatem procedendo, jam invenitur intra materiam ipsam causa sufficiens ad determinandum quemlibet ipsius statum, neque tunc inveniri poterit primus status, vel Athomus indeterminata, adeòque necesse non est, ut ad causam extra Athomorum congeriem positam recurratur, quę statum determinet. Sic velocitas, quam in hoc instanti habet juppiter, & ipsius vis centripeta determinata est a vi centripeta, quam habuit in pręcedenti instanti. Sic de hoc semine pyrus potius, quam alia arbor enascitur, corpus scilicet talis figurę, molis, & constitutionis, potius quam quęvis alia: arbor enim, ex qua semen illud editum est, talem potius dispositionem in illud induxit, & sic in infinitum.

Verum posita causa aliqua extra Athomorum collectionem Athomos ipsas determinante, singulis Athomorum statibus suam semper causam determinantem assignari posse concedimus; submota autem hujusmodi causa determinante extra Athomorum congeriem posita, negamus superius constitutas ab Adversariis propositiones. Idcirco autem velocitas tangentialis, & vis centripeta, quam in pręcedenti instanti habuit juppiter potest determinare velocitatem tangentialem, & vim centripetam, quam idem Planeta habet in hoc instanti, quia tam velocitas, quam vis centripeta fuit omnino determinata in præcedenti instanti, & si illa determinata omnino non fuisset, haud hanc potius, quam illam determinare potuisset. Idem dicendum de semine.

Nec

Nec est, quod rursus contendant, totam Athomorum collectionem indifferentem non esse quoad statum, eo quod collectio Athomorum eam habere possit determinationem quoad statum, licet singulæ Athomi seorsim sumptę sint quoad statum indifferentes. Statuunt enim mille librarum pondus a pluribus hominibus attolli posse, licet id unus homo nequeat efficere: sic singuli lapides in fornice insufficientiam habent ad se sustentandos; at omnes simul collecti eadem insufficientia destituuntur. Ergo a pari, licet singulę Athomi insufficientes sint ad statum determinandum, tota tamen Athomorum collectio habere potest ejusmodi sufficientiam.

Si singula corpora, seu Athomi peculiare saltem principium haberent se determinandi ad eas circumstantias, a quibus pendet determinatio status, porrò tunc omnia simul sumpta possent utique id, quod singula seorsim sumpta non possunt. At nonne in casu nostro singula habent totalem insufficientiam ad statum suum determinandum, dum, ut hactenus confecimus, singula totalem habeant ad illum insufficientiam, & indifferentiam. Ideo vero solus homo mille librarum pondus nequit attollere, quod viribus aliorum hominum conjunctis attollit; quia ad illud pondus attollendum non habet totalem insufficientiam, sed solum partialem, habet enim partem virium, quę requiritur ad attollendum pondus mille librarum; pars ergo virium non deest memorato homini, hinc accedentibus aliorum viribus, qui defectui suppleant, poterit illud pondus attollere. Contra vero, numquidnè infiniti homines cęci collectionem aliquam hominum efficient, qui sufficientiam habeant ad videndum? Quare, cum singulæ Athomi sint omnino insufficientes ad sese determinandas ad hunc, vel illum statum, tota etiam Athomorum collectio insufficiens erit ad sese determinandam.

Ad lapides vero in fornice constitutos, quod attinet, hac distinctione reponimus; omnes collectivè sumpti sufficientes sunt sublatis parietibus, aut alia potentia sustentante, negamus; concedimus vero, omnes collectivè sumptos sufficientes esse, supposita in singulis sufficientia partiali. Fornix itaque idcirco non corruit, quia a parietibus sustentatur: singuli lapides fornicem componentes idcircò non corruunt, quia actio illorum mutua, ratione combinationis situum, quos obtinuerunt (hujusmodi autem combinationem a causa ab ipsorum congerie omnino diversa obtinuerunt), dirigit lapides ipsos in

par-

partes, versus quas moveri nequeunt; potentiæ illos coercentes sunt gravitas, & impenetrabilitas, quę insunt omnibus lapibus, situs, seu combinatio situum, qua fit, ut actiones illæ exerceantur in partes, versus quas motus est impeditus, partialis est in singulis lapidibus, & a causa extra illos posita determinatur.

Quid verò supremæ Causæ magis injuriosum, atque a veritate alienum magis excogitari potest, quam cum Materialistis asserere, pręsentem materiæ combinationem unam ex iis esse, quę continentur in fortuitis Athomorum combinationibus, actionemque, ex qua Universi machina resultat esse unam ex iis, ad quas causa temere operans sese poterat determinare. Ea namque materiæ combinatio, quam non modo in cęlestibus, & terrestribus corporibus, sed in quibusdam arte constructis ędificiis admiramur, si una veluti ex iis haberi posset, quę continentur in fortuitis Athomorum combinationibus, aut in fortuito particularum jactu; nonnè cuilibet liceret miras illas partium combinationes, quę in tot arte factis operibus conspiciuntur, casui tribuere? At ne sanus mente putandus esset ille, qui jactitaret, columnam a vertice montis temere projectam, ita decidisse, ut supra proportionem basim institerit; quod si vero insuper addat, quatuor hujusmodi columnas temere projectas ad ęqualem inter se distantiam stetisse, ac deinde lapidum imbrem, ita super illas decidisse, ut se invicem sustentantes fornicem immobilem constituerint, quis erit tam bonus, ut talia narranti fidem adhibeat? Cur ergo Atheis, pulcherrimam hanc Mundi machinam casu efformatam asserentibus, fides erit adhibenda?

Nec est, quod tanto molimine, & verborum apparatu nobis obtrudant Materialistæ, a causa etiam temerè operante, & nulla ratione, & sapientia predita prodire posse opus summę solertię, atque ad propositum finem maximè idoneum. Inquiunt enim, quis non admirabitur mirabilem nidorum texturam nullo magisterio ab avibus fabricatorum? Conspicite hirundinem, quę ex argilla, & molli creta paulatim deinde consolidanda nidum ad se, suosque filios continendos capacem sub trabibus construit. Conspicite volucres cęteras e gelidis Terrę regionibus in tepentes plagas, & ex his in illas nulla duce Geographia transmigrantes, atque in his ipsis transmigrationibus anguli acuti figuram ad aerem in volatu proscindendum aptis-

aptissimam. Ab avibus ad admirabilem illam aranearum architecturam gradum faciunt, & rectè animadvertnnt, quod hæ in sui corporis extremitate minutissima foraminula habent, per quę emittunt succum quemdam, qui statim in filum coalescit tenujorem, vel crassiorem, prout e paucioribus, vel pluribus tenuissimis filis e singulis foraminibus prodeuntibus componitur. Porro ex his filis sua retia contextunt; ductis primo transversis filis quibusdam crassioribus, & ad scopulos, aut saxa religatis ad totam telam sustentandam, atque a ventorum impetu tuendam. Primariis his filis ita constitutis nova illa fila circumducere incipiunt, donec plures circulos concentricos describant, ita tamen, ut quo circuli isti proximiores sunt centro tenujoribus, quo remotiores crassioribus fili contesti sunt, ductisque ex diversis extremæ circumferentię punctis quamplurimis radiis, stabilitatem operi adjungunt. Circuli autem centro proximiores, ideò ex tenuioribus filis constant, quia radiorum convergentia per se ipsam firmiores efficit, ut clar. Stay cecinit.

Expectant sic densa leves in retia muscas
Piscibus exemplum capiendis, undè, ferisque
Sylvicolis, avibusque homines nos hausimus ipsi.
Illa sed unde hausit? Proprio talem excolit artem
Ingenio? An potius quidam ingens impetus intus,
Quod fecit, id cogit facere, impellitque sequentem?

Ex his ad bombyces, quorum itidem admirabilis est instinctus ille, quo serica fila e simili educunt succo, ut sibi sepulcrum, & cunas simul construant, sub nova forma deinde redituri, papilionis scilicet, quod in plerisque insectis contingere videmus.

Tantum enim abest, ut hęc, & sexcenta alia, quę afferri possunt supremi Numinis sapientiæ officiant, quin potius mirificè illam patefaciunt, quę ipsorum corpora ita efformare novit, ipsorumque animis talem inclinationem donare, atque ad illa opera constanter dirigere, quę ipsorum utilitati, & conservationi maximè essent idonea, immo & nostris usibus, & commodis ut plurimum inservirent. Sic bombycum corporibus humorem illum attribuit, inclinationemque impressit, ut ex illo serica fila ducerent, ex iisque cunas, & sepulcrum sibi pararent, nobisque donant, & pulchra faciunt in veste nitere. Similiter ea instrumenta, & instinctum naturæ Auctor

api-

apibus dedit, quibus, & mel, & cera colligerent, eamque cellularum formam conficerent, in qua maximum ceræ compendium observatur, nobis etiam hoc pacto providit, cum in quamplurimos usus melle, & cera utamur. Quomodo ergo casus, aut causa temère operans corpuscula illa cum eorum partibus ad eum unicè usum aptissimis, & diverso illo instinctu pro finis diversitate accomodato condere potuit? Nonnè ergo ex illis animalculis primę Causę sapientia necessario potius est inferenda?

Nonnè deinde a dispositione, & motibus Planetarum perperam cum Newtono sapientiam primę Causę nos inferre immerito illi autumant, dum fieri posse statuunt, ut illa corpora, & illi motus, & illę distantię ex solis materie viribus prodierint? Si enim, inquiunt, fingamus, omnes materię particulas primum in unam massam coaluisse, deinde ex intestinis illis motibus (quos sępe videmus adeò vehementes in ipsa Tellure, ut non solum ignes, & cineres, sed pregrandia etiam saxa longe projiciantur) progressu temporis in tot partes dissiluisse, quot modo sunt Planetę primarii, ita, ut pars omnium maxima in Sole fuerit, reliquę in reliquis, sed diversę magnitudinis, & pro diversa materię quantitate ab aliis intestinis motibus cum diversis velocitatibus projectę ad diversas distantias, cumque iis directionibus, quę requirebantur, ut per curvas circa commune gravitatis centrum incederent, jam habebimus Planetas omnes primarios circa Solem, seu circa commune gravitatis centrum suas orbitas percurrentes. Eodem plane modo haberi etiam poterunt Planetę secundarii circa primarios suas orbitas describentes, adeòque ex illa dispositione, & motibus Planetarum rectè non infertur primę Causę sapientia.

Et sane nonne indubiis hactenus rationis momentis ostendimus, nihil in hoc universo casu contingere posse, cum omnia in se habeant causam determinantem, adeòque in illis operibus, quę casu effecta videntur talem partium dispositionem precessisse necesse est, ex qua necessario illa opera prodire debuerunt. In allata vero hypothesi poetica magis phantasia, quam philosophia ratione excogitata, nonnè multa occurrunt, quæ determinatum materię statum presupponunt, cum per seipsam indifferens sit quoad statum; ac proinde determinari debuit ab alia causa extra ipsam omnino posita? Supponitur namque, materiam in unam massam coaluisse, cum ipsa dispersa esse po-

tuerit, aut in plures massas, vel equales, vel inequales distributa; Supponitur deinde, ita combinatam fuisse, ut intestinus ille motus oriri debuerit; hic autem, nonnè requirit determinatum partium statum, aut situm, ad quem materia ex natura sua est prorsus indifferens? Supponitur tertio talis motus, ac violenta partium agitatio, ut in tot determinatas partes tanteque magnitudinis, nec plures, nec pauciores, nec minores dissilire debuerit. Tandem he partes dissilire debuerunt illis potius determinatis velocitatibus, que has determinatas orbitas describerent, & non alias. Atqui hec omnia nonnè determinata supponuntur, cum materia sit prorsus indifferens ad hæc omnia prestanda? Ab aliqua ergo causa determinari debuit, que ex sua sapientia sciret seligere hunc potius, quam alium nature statum, ex quo hic potius universi ordo, quam alius quilibet consurgeret.

Immerito tandem divine providentie hostes tritas illas, ac vetustissimas querelas repetunt, affligari in hoc universo bonos, malos tranquillam, & prosperam vitam agere, atque a sapienti, & recta rerum administratione summopere abhorrere Celi tempestates, que sepe frugibus adeò noxie sunt, ut omnes agricolarum labores eludant, tot animantia ceca, & monstruosa, tot homines, qui modo unum, modo aliud membrum, ita habent dispositum, ut ad propositum finem non conducat, que quidem argumenta summopere promovet divine providentie teterrimus hostis Spinoza in sua Ethica divine providentiæ cultores irridens. = Inter tot nature commoda non pauca = incommoda reperiri debuerunt, tempestates scilicet, & ter= remotus, atque hec statuerunt propterea evenire, quod Dii = irati essent ob iujurias sibi ab hominibus factas, sive ob pec= cata in suo cultu commissa. Et quamvis experientia in dies = reclamaret, infinitisque exemplis ostenderet, commoda, & = incommoda piis eque ac impiis evenire, non ideò ab inve= terato prejudicio destiterunt. Facilius enim ipsis fuit hoc in= ter alia incommoda, quorum usum ignorabant, ponere, & sic = presentem suum, & innatum statum ignorantie retinere, quam = totam illam fabricam providentie dextruere, & nodum solvere. =

Certum namque, exploratumque est ad providentiam spectare, ut iniqui non dominentur, & justi homines oppressi jaceant, si de providentia politica, & humana agatur, cum maximè Reipublice intersit conservationem, & pacem tueri, eaque

eaque arcere scelera, quibus ipsius Reipublicę pax perturbatur. Hinc rectè judicaremus, eam Rempublicam Gubernatore provido destitui, in qua flagitia, & scelera impunè grassarentur. At si loquamur de providentia divina, & ęterna, falsum omnino est, quod ad ipsam spectet non permittere, ut causę liberę potentiis, & facultatibus suis liberè utantur, & ad certum tempus motibus suis naturalibus ferantur, adeòque, ut impii non rarò temporaliter dominentur, justi autem oppressi jaceant. Atqui, ut rationes assignentur, quibus divina Providentia sępe probis, & justis mala, improbis bona temporalia decernat; Primo animadvertendum est, divinam Providentiam ita se gerere, ut palam fiat, post hanc mortalem vitam esse aliam ęternam, in qua pios bona maneant, impios autem mala. Secundo, ut scelestorum huminum ministerio nonnulla justorum peccata, quę & ipsi interdum patrant in hac vita puniantur; sic Deus malitia, & ambitione Assyriorum, Persarum, Chaldęorum, Romanorum, ad Populum judaicum plectendum est usus. Tertio, ut exinde homines discant non magni facere temporalia, adeòque ab his animum avertant, & cęlestia solum appetant, diligentiusque inquirant. Quarto, ut aliqua impiorum bona opera moralia præmio aliquo afficiat, cum per totam æternitatem mala opera punire debeat. Hinc docet Augustinus, florentissimam omnium Rempublicam, amplissimumque imperium ob hanc potissimum rationem Romanis concessisse. Tandem in hujusmodi rerum ordine mire elucescunt quamplurima divina attributa, quę aliter nota non fuerunt mortalibus. Si enim Deus non permitteret iniquorum impietatem, quomodo ejus potentia in tollerandis iniquis, & ejus misericordia in condonandis injuriis, & ejus justitia in sceleribus vindicandis elucesceret? Atqui ex hujusmodi attributis multo magis supremi Numinis gloria se prodit, quam ex bono quolibet creato. Ergo, cum tot, tantaque bona ex hujusmodi malis proficiscantur, quis, inquam, sapiens audeat asserere, aliquod ex malis illis contra divinam Providentiam sumi posse argumentum; presertim cum ad brevissimum tempus grassentur impii, & justi opprimantur? Quid enim sunt quadraginta, quinquaginta, atque etiam centum anni cum tota æternitate comparati?

Accedit, quod nec ubique, nec semper verum est, scelestos homines tranquillam, & prosperam vitam agere, bonos

 vero

vero, probosque viros calamitatibus affictari. Plene enim sunt calamitatibus sceleratorum hominum historię, & paucissimi Harpalo illi assimiliari possunt, qui cum post plurima latrocinia ad ultimam senectutem felix, & incolumis pervenisset, Diogeni Cynico videbatur testimonium contra Deos facere: Et sane nonnè hoc patuit luculentissime in celeberrimis illis Monarchiis, Assyriorum videlicet, Chaldęorum, Persarum, Grecorum, Romanornm, quę olim maximè floruerunt, quæque ad invicem postmodum sese dextruxere, & quarum nomen vix apud homines remansit? Nonnè idipsum patuit in potentissimis hominibus? Nam, ut omittam quantis privatis angustiis, terroribus, & scelerum ipsorum conscientia dilacerentur; Nabuchodonosor dum in summa prosperitate vitam ageret, post tot subactas gentes, eversaque regna ad vitam ferarum more in sylvis ducendam supremi Numinis imperio adjicitur. Baltassar inter pocula, & epulas insolito terrore perfunditur, captaque Civitate ab hostibus eadem ipsa nocte interficitur. Post tot relatas a Scythis victorias, amisso statim numerosissimo exercitu Cyrus tandem trucidatur. Quid Xerxem, quid Alexandrum Magnum, aliosque memorem, qui post plurima bella feliciter gesta, partasque victorias, misere occubuerunt? Sępe igitur in hac mortali vita scelesti homines puniuntur, adeòque immerito ex ipsorum prosperitate, & justorum miseria contra divinam Providentiam aliquid inferre conantur Fatalistę. Deinde bona, & mala judicio nostro definienda nequaquam sunt, ut ipse ajebat Spinoza in suo tractatu Theologico Politico cap. 2. = Quidquid ridiculum, absurdum, aut malum nobis videtur, id inde est, quod res tantum ex parte novimus, totiusque naturę ordinem, & coherentiam maxima ex parte ignoramus, & quod ex pręscripto nostrę rationis volumus, ut dirigantur, cum tamen id, quod ratio nostra malum esse dictat, non malum sit respectu ordinis, & legum universę naturę, sed tantum solius nostrę naturæ respectu =.

Deinde licet aspectabilis hujusce Mundi systema sit sapientissimum, nonnè tamen mancum, & imperfectum plerumque nobis potest apparere, eo quod sit planè incomprehensibile, adeòque nos de illo nequaquam possumus ferre sententiam? Et sanè systema hujusmodi est systema infinitę sapientię, proindeque in infinitum humanæ mentis captum excedit. Systema enim est ejus naturæ, ut omnes Dei operationes ad extra per totam

tam æternitatem complectatur ; hinc omnia tempora , omnia Entia , atque eventus omnes in se continet ; cum igitur per totam rerum miram connexionem, perpetuamque causarum, & effectuum subordinationem naturæ cursus progrediatur , patet , neminem mortalium totam illius rei rationem prævidere posse, accuratam descriptionem exhibendo causarum, effectuum , & finium omnium, aut pronuntiando, quemcumque effectum etiam levissimum non esse necessarium ad effectum magni momenti . Tandem, ut quis ineffabilis providentię rationem , & semitas requirat , rerum naturas perfecte debet agnoscere . Nam in rerum administrazione res quęlibet regi debet pro sua natura, seu leges Gubernatores obtemperare debent rerum naturis ; Atqui rerum, tam materialium , quam spiritualium naturę ignotę nobis prorsus sunt . Ergo & regimen , seu providentia illarum ignota esse debet , adeòque Mundi systema planè incomprehensibile nobis sit, oportet . Quare posita hac causarum , effectuum , finium incomprehensibilitate , nonnè apertè consequitur , ut in multis nos erremus , cum res etiam sapientissime institutę a sapientia alienæ nobis possunt apparere ? Hinc partes ex. gr. pro toto aliquando sumimus , & pulchritudinem , & convenientiam totius in parte aliqua desideramus ; Hinc sępe media non distinguimus a finibus , & in mediis ipsis excellentiam desideramus . Quare multa sunt in rerum natura , quę nobis a recta, & sapienti rerum administratione abhorrere videntur, si ad finem alicujus rei particularis referantur. Adversariis concedimus ; denegamus verò , si ad totius universitatis finem referantur. Distinguendus itaque est finis rei alicujus particularis a fine totius universi . Finis totius Universi respicit bonum commune , finis particularis respicit bonum privatum ; Si itaque omnia ad bonum commune referantur , facili negotio agnoscetur recta , & sapiens hujus universi administratio , & jam malum privatum erit bonum commune . Sic terrę sterilitas , & paupertas, quę ex illa consequitur in privatis aliquot agricolis, utilitas est totius Reipublicę ; cum idcircò alii majori pretio suas vendant merces, & pauperes divitibus inservire cogantur ; sic monstra contingunt ob ipsas universalis naturę leges in bonum commune a sapientissimo Auctore naturæ constituta . Illæ enim exigunt , ut qnotiescumque hę , vel illę circumstantię dentur , hi quoque , vel illi effectus prodeant ; Quoties ex gr. detur apta , & sufficiens materia ad duo capita efformanda, ex

illa universali lege duo capita efformentur, necesse est. Porrò Deus hoc posset impedire, sed quia non tenetur immutare legem universalem ob bonum commune naturę totius statutam, ut particularis hominis malum avertat, id permittit. Res ergo singulę tamquam partes hujus universitatis considerandę sunt, quę cum toto harmoniam efficere debeant, adeòque de bono, & malo non ex nostris privatis commodis, sed ex communi rerum omnium fine judicare debemus. Cum Clarkio primum observandum est, hoc systema mundanum nobis omnino incomprehensibile esse, cum incomprehensibiles nobis sint rerum naturę, multòque magis fines, propter quos naturę auctor hanc machinam constituit. Quot in Physica nobis utilia adinventa sunt, quæ a veteribus Philosophis noxia penitus habebantur. Hinc iidem, non inutilem modo, sed noxiam etiam Eclipticę obliquitatem censebant, eo quod eàdem ita constitutà steriles prorsus, & inhabitabiles terrę omnes sub frigidis Zonis, & torrida positæ, efficerentur. Nonnè tamen detectum est, non minus in illis, quàm in temperatis, & homines, & animalia vivere, plantasque utilissimas tum ad conservationem, tum ad commodum vegetare? Quin immo illud demonstratum jam est, quod recta positio axis Telluris ad planum Eclipticę, magnam globi terrestris partem horrentem redderet, inutilem, & desertam. Nonnè ea forsitan etiam, quę nobis noxia videntur, utilia posteri detegent? Concludendum est igitur, quod nihil reverà inordinatum sit in hac machina, si consideretur, ut debet, relate ad fines Universi.

Nec est, quod rursus inquirant, quæ causa sit cur, cum Deus absolutè, & relativè etiam sit optimus, potentissimus, providentissimus, tot homines malis undique affligentur, tria namque malorum genera cum Leybnitio sunt distinguenda, metaphysicum nempe, physicum, & morale. Metaphysicum est deficientia a summa, & absolutissima perfectione; morale est transgressio legis, sive peccatum; Physicum animi ęgritudines, & dolores corporis. Metaphysicum necessario consequitur naturæ creatæ conditionem, quæ hoc ipso, quod creata sit, necessitate sua non existit, nec est illud omne, quod potest esse, nec extensionem, & possibilem attributorum numerum in se complectitur, sive, quod eodem recidit homo non est perfectissimus. Nequeunt itaque a creatis rebus metaphysica mala excludi. Hæc autem prima moralis mali origo est, quod

dein-

deinde mala physica, aut justè subsequuntur, aut preeunt sapientissime. Hoc enim ipso, quod perfectissimi non sint homines, infinitæ sapientię, & bonitatis esse non possunt, nec in judicandis rebus non falli, nec ab objectis extrinsecis, quibus cum necessario colliguntur nihil pati, & ad ea etiam, quę divina lege sunt vetita numquam rapi. Id fieri omnino debet, nisi, aut nulla sit lata a Deo lex, aut nulla concessa homini libertas; hoc alterum hominis naturam everteret, & ipsum facultate intelligendi, eligendi, volendi, ratione scilicet destitutum crudis lateribus assimilaret. Primum, nec divinam sapientiam, bonitatem, providentiam, vel humanam naturam satis decebat, quę ingenita libertate utens a suo fine aberrasset perpetuo, quod fusius recentiores quidam Ethici demonstrarunt. Ubi vero sua libertate abutentes homines a lege divina deflexerint, consentaneum rationi est, ut pęnis, doloribus, molestiis pręsentis vitę ad eamdem legem, & ad Deum revocentur. Ita ex malis moralibus profluunt mala physica, sicuti mala moralia ex metaphysicis proficiscuntur. At physica mala fere in immensum augent bonitatis, & providentiæ divinę hostes, morbos exaggerant, & fatalem moriendi necessitatem. Ego, licet mala physica, nec tot, nec tanta esse censeam, ut ipsi jactitant, concedo quod Maupertuysius in suo specimine moralis Phylosophię proposuit, ex tota historiarum serie probari posse, vitæ præsentis mala, bonorum summam non exæquare modo, sed etiam superare; quod amplissimum divine bonitatis est argumentum, ut abducti homines a bonis hisce fallacibus alteri vitæ, & beatitudini assequendę dent operam. Nec est, quod quispiam objiciat non valere hęc omnia in infantibus, qui nec peccata patrarunt, quę luant, nec rationis adhuc sunt compotes, qua ęternam vitam huic mortali anteponant. In ipsis autem infantium pęnis, quibus conturbantur nonnulli, Dei bonitas, ac providentia erga nos maxima cum clar. Genuensi agnoscenda est. Optimè enim hic animadvertit, in ipsa origine naturam humanam esse exercendam, ut nihil novi, quo opprimatur usquam inveniat, & mala fortius sustinere, & in utilitatem suam possit convertere. Quid enim fieret, ubi delati pueri ad terminos adolescentię, nihilque experti, nisi voluptates vitę, vehementiori dolore aliquo essent coercendi? Nonne enim quotidiana experientia erudimur, calamitatibus non exercitos homines facile concuti, & ve-

vehementissime de suo ordine deturbari, & postmodum vitæ officiis inutiles reddi? Quoniam verò sine libertate creari homines non decebat; ita posita libertate lex aliqua hominibus erat statuenda. Poterat utique Deus, si voluisset, libertatem eripere, homines non condere, legem non ferre; quia tamen id ipsi placuit, quod suæ sapientiæ, & bonitati apprime erat consentaneum, naturam scilicet aliquam condere, quæ intelligeret, esset libera, ac certis legibus coerceretur, amplius non poterat transgressionem latarum legum, & mala omnia moralia è medio tollere. Permissis ergo malis moralibus, physica mala erant infligenda.

Cum itaque ex discussis hactenus, refutatisque Materialistarum argumentis luculentius adhuc innotescat, optimum, sapientissimum, ac providentissimum Numen existere, nonnè exindè consequitur, illud maximo honore, & obsequio a nobis esse prosequendum, cumque ab ipso traditum, & insinuatum sit singulis hominibus quoddam lumen, quo, & nos ipsos, & plura vitæ munera cognoscimus, nonnè juxta illud lumen vivendum, & quas insinuat officiorum, & munerum leges sunt exequendæ? Atqui naturalis ratio, neque ad morum honestatem, neque ad sanctum, atque incorruptum primæ causæ cultum præstandum potest sufficere, uberius ergo, nitidiusque aliud lumen necessario est statuendum, divina scilicet revelatio, qua humanæ felicitatis reparandæ media dignoscamus, debitoque cultu Numen prosequamur, quæque nobis credenda proponit, clarius intelligamus.

Et sane, in qua ridicula, nefanda, & impia superstitione fuerunt, & adhuc sunt eæ nationes, quæ solo rationis lumine ducuntur, ut merito cum clar. Genuensi mirari possimus, animalia rationalia tot numero, tamdiu, & in tanto mentis stupore esse potuisse! Colebant namque animalia quędam vilissima, Canem, Crocodilum, aut modificationes nonnullas rerum, tempus, ventos, fortunam, calamitatem, amorem, metum, aut homines sceleſtiſſimos, ut merito Lucianus clamitantem Momum induxerit, se nisi Cęlum tot monstris purgetur, inde abiturum. Superstitiones ipso Atheismo deteriores pronuntiavit olim Plutarcus in libro de superstitione; Ajebat enim = Verba, & prestigia, & incantationes, & circum= cursationes, & cruciatus, & impure purificationes, immun= deque mundationes, barbareque, & impie prope Templa

pu-

= purificationes, & injurię quibusdam causam prębent, ut di-
= cant, satius esse non existere Deos, quam existere, talia
= probantes, talibus gaudentes, injuriosos, & sordidos, par-
= vaque de causa irascentes =. Eusebius in pręparatione evangelica plusquam triginta nationes recenset, quę humanas hostias sacrificare consueverunt. Qui mores, quę dogmata pręsentium nationum sunt, quę solo naturę lumine diriguntur, nec Christo adhuc nomen dederunt? Sacrificia humana adhuc obtinent in Insula Ceylan, Mexico, Peruvia, & Virginia; Sacerdotes frustra carnis obtruncant, & Diis suis offerunt. Apud Orientales Indos, Tartaros turpia sacrificia fieri consuescunt. Canadenses, Africani nonnulli, & Basilienses silvestres hostium suorum carnibus vescuntur. Quid eas memorem ridiculas, absurdasque opiniones, quas barbari incultique homines de Deo habent, quęque eidem offerunt sacrificia? Cum omnia hęc itineratores quamplurimi in apricum produxerint, iisdemque confirmaverint, quam manca, & imbecillis sit humana ratio ad vitam regendam, & conservandam, debitumque supremę causę cultum præstandum.

Verum non barbarę solum, efferatęque gentes ab immani superstitionis tyrannide rationis ope sese subducere non potuerunt, sed eos ipsos, qui inter Ethnicos sapientissimi habebantur, Socrates scilicet, Plato, Aristoteles, Cicero, aliique non pauci, quem ex clariori naturę lumine, uberiorique rerum cognitione aucto, & exornato fructum assequutos esse censemus? Quorum alii artem ipsam Phylosophię, exercendę linguæ causa, & advocandi gratia, excoluerunt; alii vero quæ cęteris facienda præcipiebant, penitus neglexerunt, perditoque tandem, ac funestissimo exemplo reliquis hominibus ad nefaria quædam crimina perpetranda viam stravere? Quoties enim quisque phylosophorum invenitur ita moratus, ita animo, & vita constitutus, ut ratio postulat, qui disciplinam suam, non ostentationem scientię, sed legem vitæ putet, qui obtemperet ipse sibi, & decretis suis pareat? Videre licet multos libidinum servos. Et sanè nonnè Socrates, Cicero, Seneca, aliique, qui præ cęteris altius, felicius supremi Numinis naturam, & perfectiones investigarunt, propiusque illas attigerunt, cum popularibus suis, Atheismo, Politheismo se turpiter tradidere, & de animorum immortalitate dubitarunt, ut ex Cicerone ipso, Lactantio, aliisque testibus luculentissimis erudimur

mur ? = Illud verò , nonnè summę vanitatis est , tradit La-
= ctantius de Socrate loquens , quod ante mortem familiares
= rogavit , ut Exculapio gallum devotum sacrarent . Ex insti-
= tutis Pontificum , & Aruspicum nihil immutandum, quibus
= hostiis est immolandum cuique Deo = Plato lib. 4. de legi-
bus , nonnè inferioribus , & superioribus Numinibus statuit sa-
crificandum ? = Credebam facile, ait Seneca Epistola 102. cap.
= 2. , opinionibus magnorum virorum rem gratissimam , ani-
= morum scilicet immortalitatem , promittentium magis , quam
= probantium =. Quæ sanè absurda , errores , non in veteribus
modo , sed in recentioribus etiam Philosophis passim occur-
runt , qui sola ratione duce , cęlesti quolibet spreto auxilio ,
de Deo , animique natura differere voluerunt , ut ex Spinozę,
Hobbesii , Delametrei , aliorumque nequitię , & fraudis ple-
nis operibus colligitur manifestissime . Manca ergo , & imper-
fecta est humana ratio , scientiarum licet amplitudine aucta , at-
que exornata ad homines in officio continendos , debitumque
supremo Numini cultum exhibendum .

Ex humanæ ergo rationis imbecillitate , supremique Nu-
minis , & Religionis ipsius natura consequitur manifestissimè ,
divinam omnino necessariam esse revelationem , qua humanę
felicitatis reparandę media dignoscant homines debitoque cultu
Numen prosequantur . Turpiter ergo allucinantur Collinius ,
Tyndalius , Voltairius , Russoius , aliique, qui legem , natu-
ralemque Religionem ad omnia vitę officia exequenda , ęter-
namque felicitatem assequendam satis esse contendunt , iisdem-
que inscitię , arrogantię, & dementię nota merito est inurenda.

F I N I S.

127